



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetii, 1706**

Licentiæ contrahendi non obstante absentia Form. VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

Licentiae contrahendi Matrimonium ejus, qui fuit  
absens, vel est forensis.

## F O R M U L A VII.

## S U M M A R I U M.

- 1 Parochus de jure potest suos Parochianos matrimonio conjungere absque licentia Episcopi, nisi fuerint à Diœcesi absentes.
- 2 Tempus diuturnum absentiae ad hunc effectum dicitur quinque, vel sex mensium.
- 3 Parochus, qui diu absentes à Diœcesi contra prohibitionem Episcopi matrimonio jungit, graviter peccat, & punitur.

**T**Ibi N. Parocho Ecclesiae N. Ut in Matrimonium per verba de præsentis in faciem Ecclesiae, factis prius in tribus diebus festivis interpellatis Denunciationibus, ac in reliquis servata forma præscripta à Sac. Concil. Trid. N. & N. nullo alio detecto impedimento, quām præteritae absentiae, d. N. conjungere possis, facultatem concedimus, quoniam d. N. Nobis constare fecit se extra nostram Diœcesim mansisse liberum ad contrahendum (*si verò sit forensis*) quoniam de ejus statu libero ad contrahendum Matrimonium per attestacionem proprii Ordinarii Nobis constare fecit. Datum &c.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

## ADNOTATIONES.

- 1 **A BSENTIAE.** Parochus de jure potest suos Parochianos Matrimonio conjungere servata forma Concilii absque alia licentia Episcopi, Guttier. *de Matrim. cap. 60. n. 1.* Nicol. *in floscul. verb. Matrimonium n. 5.* Attamen si Parochiani diti à Parochia, & Diœcesi fuerunt absentes, rectè potest Episcopus Parocho prohibere, ne illos ad Patriam reversos admittat absque sua licentia, cum potuerint alibi contrahere, Guttier. *do Matr. cap. 65. n. 7.* Barb. *in Summ. decif. Apostolic. collect. 554. num. 5.*
2. Quale autem dicatur tempus notabile absentiae, ut possit hoc prohiberi, nullibi præsinitum reperitur, sed Episcopus iuxta personarum, & causæ absentiae qualitatem, illud discrete, & prudenter definet, ad tradita per Menoch. *de arbitr. jud. lib. 2. cas. 6. num. 13.* Regulariter au-

tem, qui per quinque, vel sex menses continuos à Diœcesi, & in longinquis absentes fuerunt, dici poterunt eos diu extra illam moram traxisse, ad effectum, ut arceri possint à Matrimonio, donec constet mansisse liberos: sic judicant *Synodus Farvensis de anno 1686.* & *Cæsenaten. de anno 1595.* in lucem editæ.

3. **FACULTATEM CONCEDIMVS.** Si Parochus sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, illos, qui à Diœcesi per dictum notabile temporis spatium absuerunt, non obstante prohibitione, in Matrimonium conjungeret, graviter peccaret, & severè posset puniri, ut advertit Pac. Jord. *tom. 1. lib. 3. tit. 7. num. 99.* & 177.

Licen-